

lamentationibus, uti infra audiemus. Nec defunt eruditi, quos inter *Maldonatum* nomino, qui in Jeremiæ threnis lamentum invenisse putant, in obitum Josiæ exaratum. Et Autores Annotat. ad Anglicana Biblia in præfatione ad Thren. observant, ex quorundam opinione Jeremiam in obitum Josiæ lamentationes suas incepisse, & succedentibus temporibus continuasse. Verum magis placent, quæ Latini & Græci iisdem Threnis præmittunt, licet in Hebræis codicibus desint. Neutiquam tamen negamus, Thren. Cap. IV. v. 20. quædam legi verba, in quibus vel Josiæ vel Sedekîæ obitus videatur deplorari: v. g.

Spiritus narium nostrarum, unctus Domini captus est in retibus eorum,

de quo diximus, sub umbra ejus vivemus inter gentes.

Quamvis, eadem si verba accuratius inspiciamus, videantur esse ἐν Φαρινώρεα, quam ut de solo Judæorum Rege capto loquantur; hinc rectius quoque sentiunt illi, qui Spiritum S. longius, & quidem ad Christi mortem prospexisse, dicunt, utpote cui Soli hæc in pleno competunt sensu. Quæ de methodo interpretandi plura docet *Samuel White Cantabrigiensis. Trinit. Collegii Collega in Comment. in Jesaiam, imprimis in Præfat.* Pari modo Propheta in Bethel planxit Prophetam rebellem a leone occisum, his verbis: *Heu frater mi*, 1. Reg. XIII, 30. adde Jer. XXII, 18. Omnia hæc jam in medium prolata evidenter docere videntur, Israelitas olim ex more recepto de mortuorum Heroum, Regum atque Principum laudes carminibus scriptis celebrasse, quod etiam *B. Geierus* noster de Luctu Hebræorum Cap. VI. §. 19. prolixius affirmavit. Ejusmodi vero carmina lugubria ab Israelitis fuisse collecta, & in volumina redacta, cognoscimus clare ex 2. Paral. XXXV, 25. ubi legimus carmina lugubria a Jeremia aliisque cantatoribus & cantatricibus in obitum Regis Josiæ cantata, esse scripta *עַל הַקִּירוֹת* in threnis. Quæ verba sensu hoc simplici sumpta nihil significant, nisi collectos esse istos threnos in Josiæ obitum compositos, & conscriptos ad diu-
turnio-